



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

400. An consuetudine induci possit, ut Canonici tam Collegiatæ, quàm Cathedralis, habentesque dignitates non curatas licitè non resideant, & in absentia percipiant fructus, etiam non constituendo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

aliàs residendo, & divinis interessendo lucrifunt. Garc. juxta responfionem S. Congreg. num. 425. Ne quidem sub prætextu, quòd alii præbendari videantur eis donare & remittere partem, quæ sibi erat obventura, sed de hoc infra. Porro posse Capitulum dare licentiam saltem ad breve tempus ex causis in jure expressis, satis indicat, & supponere videtur Garc. n. 433. & seq. ubi docet, quòd si per consuetudinem Ecclesiæ vel statuti capitularis causa in jure aliàs expressa esset ita modificata, ut talis consuetudo vel statutum non posset adhuc dici esse contra jus, sed declarare & limitare veluti jus ex rationabili causa, non posse dare Capitulum licentiam contra tale statutum, seu ut abesset, in quo dicta causa in jure expressa sic modificata per statutum non inveniretur, eò quòd jam talis licentia, seu gratia esset contra jus, v. g. infirmitas est causa iusta absentia in jure expressa, ubi hæc jam ita modificaretur per statutum capitulare, ut solum infirmus, qui domo exire nequit, excusaretur, & haberetur pro præfente, ratione infirmitatis, hæc modificatio infirmitatis aliàs in jure expressa non esset contra jus, sed limitatio quadam juris ex causa rationabili (nimirum ad cavendas magis fraudes, ne si habiti pro infirmis adhuc exire possent domo, multi fingerent se infirmos, aut ex levissima causa facerent se, ut tales haberi) adeoque jam Capitulum non posset contra hoc suum statutum dispensare, & talem aliquem infirmum, qui domo adhuc exire potest, habere ratione infirmitatis pro præfente, quia jam ageret contra jus. Econtra verò si causa in jure expressa ita modificata esset per consuetudinem vel statutum, ut jam directè esset contra jus, v. g. si statuisset, ut non haberetur pro præfente ratione infirmitatis, qui venit foris, nec esset præfentatus in Ecclesia, posse tunc Capitulum facere gratiam, & habere talem adhuc pro præfente; eò quòd tunc talis gratia esset contra statuta, & non contra jus, sed potius ex causis in jure expressis. Unde

4. Respondeo quartò: si obligatio residendi præcisè solum est vi statuti alicujus synodalis, aut dicecesani, Episcopus potest dare licentiam ex justa causa, & Capitulum Cathedralis sede vacante. Quin & ipsum collegium Canonicorum potest dare licentiam hanc, ubi ab ipso solo simile statutum de residendo est factum, ita ut sine illo statuto nulla esset obligatio residendi. Pirh. num. 43. Azor. loc. cit. q. 5.

Questio 399. An obtinentes dignitates, Canonicatus, portiones &c. licitè & tutè conscientia possint ultra tempus à Concilio permissum, amittendo distributiones, & omnes fructus, qui residendo lucrifunt, abesse, & non residere?

Responder Garcia p. 3. c. 2. n. 321. negativè, sed peccare mortaliter, qui notabiliter ultra dictum tempus absunt, cum contraveniant gravissimo præcepto Concilii, quod non est, nec dici potest lex purè poenalis. Et sic inter ceteras S. Congregat. declarationes habet secunda, quam refert Garc. num. 322. Nullus excusatur à residentia, licet distributiones quotidianas amittere consentiat. Idemque tenere ait num. 323. etiam si resideant in civitate, ubi est Ecclesia, peccare namque mortaliter, nec satisfacere, si notabiliter ultra dictum tempus abfuerint à servitio Ecclesiæ, citatque pro hoc quoque plures S. Congregat. declarationes, inter quas pri-

ma sic habet: *Decretum hoc intelligendum est, ut Canonici non possint abesse ab Ecclesia sua servitio ultra tres menses singulis annis, nihilque eis prodesse, quòd in civitate maneant, nisi Ecclesia debitis horis inserviant; intelligendumque est omnes in contrarium consuetudines per hoc decretum sublatas; Idem docet Paxjord. loc. cit. n. 75. citans Covar. cit. c. 13, n. 25. Vasq. in opuscul. mor. de benef. c. 4. §. 2. Barbos. c. 2. de can. num. 12. Zerol. in praxi Episc. p. 2. c. 3. num. 10. qui etiam hanc referat declarationem S. Congregat. Congregatio censuit esse puniendos, qui à servitio Ecclesiæ absunt, etsi ubi Ecclesia consistit, sint præfentes &c. Vide eundem Paxjord. ibid. nu. 98. ubi postquam profertentia hac citasset Suar. de relig. to. 2. l. 4. c. 10. num. 17. Bonac. de horis canon. d. 1. q. 1. p. 2. nu. 1. Squillante de oblig. Cler. p. 1. num. 57. dicit referri à Barb. de can. c. 40. n. 9. contrariam sententiam, eamque ab eo dici teneri à classicis AA. & practitari posse in conscientia, respondendo etiam contrariis argumentis: nimirum quòd tales absentes à divinis officiis ad summum peccent venialiter tantum (& ne venialiter quidem, dum adest iusta causa) nisi fortè adsit particulare præceptum prælati ex iusta causa factum, vel non remaneret tot Canonici, qui possent Ecclesiæ competenter inservire (v. g. ut Jacob. Macig. de horis can. c. 56. n. 24. apud eundem Paxjord. nu. 100. si eo absente non remaneret saltem quatuor in choro) hanc sententiam benignam, ut refert Paxjord. n. 99. tenent Cajet. in summa. v. hora. Navar. de orat. c. 5. n. 14. Valent. rom. 3. d. 6. q. 2. p. 10. Reginald. in praxi l. 18. n. 176. Angel. Sylv. & ipsemet Barb. de off. Episc. alleg. 53. n. 131. & cit. c. 40. n. 11.*

Questio 400. Utrum per consuetudinem induci possit, ut Canonici tam Collegiati, quam Cathedralis, habentesque dignitates non curatas, licitè non resideant, & in absentia percipiant fructus, etiam non constituendo alium, qui loco ipsorum deserviat Ecclesiæ?

Respondeo affirmativè: modò per talem absentiam cultus divinus non minuat, & consequenter talis consuetudo noxia non sit Ecclesiæ. Pirh. loc. cit. n. 15. citans Abbatem in c. exstirpanda. de præb. Fagn. in c. cum omnes. de constitut. n. 18. quilibet enim Clericus, cum in sortem Domini assumptus sit, inservit Ecclesiæ universali; jùsq; naturale solum requirit, ut Ecclesia necessario non destituatur ministerio; quòd autem beneficiatus quisque per se, vel per substitutum inservire debeat, etiam cum aliunde Ecclesiæ commodè inservitur, id solum jure canon. statutum, cui per consuetudinem derogari potest. Pirh. nu. 16. citans Azor. ubi supra q. 2. atque ita obtinuit, & valida est consuetudo, vi cujus personalis residentia in beneficiis simplicibus non requiritur, etiam in iis, quæ propriè in titulum dantur: Verùm quoad Canonicos, præbendatos, habentesque dignitates in Cathedralibus & Collegiatis consuetudinem absentiendi licitè, & in absentia percipiendi fructus, vel etiam inserviendi per substitutos sustulit Trident. cit. c. 12. sess. 24. Adeoque si etiam sustulit talem consuetudinem non solum jam existentem, sed etiam impedivit, ne talis de novo nasci posset, licet excusari non poterit, quòd nihilominus de facto ex usu tales non resideant licitè, quàm quòd Concilium usu non sit receptum, quoad

hoc in istis locis.

Questio